



Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

Burchardus <Wormaciensis>

Parisiis, 1549

De illis qui episcopis suis clam sua confitentur peccata, & postea negare
voluerint. cxxvii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10722

seipsis hoc non dicant: quia non est eis necessaria ista peti-
tio, sed pro aliis qui sunt in suo populo peccatores, & ideo
non dicere vnumquemq; sanctorum, dimitte peccata mea,
sed dimitte nobis debita nostra, vt hoc pro aliis potius,
quàm pro se iustus petere intelligatur, anathema sit. San-
ctus enim & iustus erat apostolus Iacobus, cum dicebat: In
multis enim offendimus omnes. Nam quare additum est om-
nes: nisi vt ista sententia conueniret? Et in Psalmo vbi le-
gitur. Ne intres in iudicium cum seruo tuo: quia non iu-
stificabitur in conspectu tuo omnis viuens. Et in oratione
sapientissimi Salomonis: Non est homo, qui non peccauit.
Et in libro sancti Iob: In manu omnis hominis signum, vt
sciat omnis homo infirmitatem suam. Vnde etiam Daniel
sanctus & iustus, cum in oratione pluraliter diceret: Pec-
cauimus, iniquitatem fecimus, &c. quæ ibi veraciter & hu-
militer confitetur, ne putaretur, quemadmodum quidam
sentiunt, hoc nõ de suis, sed de populi sui potius dixisse pec-
catis, postea dixit: Cum orarem, & confiterer peccata mea,
& peccata populi mei dño Deo meo. Noluit dicere pecca-
ta nostra sed populi sui dixit & sua: quoniã futuros istos qui
tam malè intelligerent, tanquam propheta prauidit.

*De illis qui episcopis suis clam sua confitentur pecca-
ta, & postea negare voluerint. Cap. CXXVII.*

Item placuit, vt si quando episcopus dicit aliquem sibi *Ex eodẽ*
soli proprium crimen fuisse confessum, atque ille postea *cap. 77.*
negat, & pœnitere noluerit, non poret ad iniuriam suam
episcopus pertinere, quod illi soli non creditur, & si scrupulo
propriæ conscientiæ se dicit neganti nolle commu-
nicare, secretè tamen interdicit ei communionem, do-
nec obtemperet.

*De illis pœnitentibus qui attente leges pœnitentiæ
exequuntur. Cap. CXXVIII.*

Pœnitentes qui attente leges pœnitentiæ exequun- *Ex cõcil.*
tur, si casu in itinere, vel in mari mortui fuerint, vbi *Carthag.*
eis subueniri non potuit, memoria eorum, & orationibus, *cap. 79.*
& oblationibus commendetur.

De illis qui se affligunt de obitu charorum.

Caput CXXIX.

Ex episto.

Nos autem qui nouimus, qui hoc credimus, & doce- *Anasta. I.*
mus, contristari nimiũ de obeuntibus non debemus, *pape, ne-*